obsequii cui subdatur inquirens. Non autem signum cui credat flagitans. Neque enim decebat electam generando deo virginem dubiam diffidentia sed prudentia cautam existere. Quia nec sic cito poterat homo nosse misterium quod in deo manebat a saeculis absconditum. Quia ergo legerat ecce virgo in utero habebit et pariet filium. Sed quomodo id fieri posset non legerat, merito credula his quae legerat sciscitatur ab angelo quod in propheta non invenit.

VIII ET RESPONDENS ANGELUS DIXIT EI SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TIBI.

Non virili inquit quod non cognoscis semine sed spiritu sancto quo implente opere concipies. Erit in te conceptio libido non erit. Concupiscentia non erit aestus. Ubi umbram facit spiritus sanctus. Verum in eo quod ait et virtus altissimi obumbrabit tibi, potest etiam incarnati salvatoris utraque natura designari. Umbra quippe a lumine solet et corpore formari et cui obumbratur lumine quidem calore solis quantum sufficit reficitur. Sed ipse solis ardor ne ferri nequeat interposito vel nubiculo levi vel quolibet alio corpore temperatur. Beata itaque virgo quae ut quasi homo omnem plenitudinem divinitatis corporaliter capere nequibat, virtus ei altissimi obumbravit, id est incorporea lux divinitatis corpus in ea suscepit humanitatis. De quo pulchre propheta: Ecce dominus inquit ascendet super nubem levem et ingredietur Aegyptum. Quod est dicere: Ecce verbum dei patris coaeternum lumen quod de lumine ante secula natum, cum carnem in fine saeculorum atque animam nullo peccati pondere gravatam suscipiet et de utero virginali tamquam sponsus de thalamo suo procedet in mundum.

IDEOQUE ET QUOD NASCETUR EX TE SANCTUM VOCABITUR FILIUS DEI.

Ad distinctionem nostrae sanctitatis Iesus singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturae corruptibilis condicione constringimur.